



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA AD ALOISIUM

TIT. S. ANDREAE APOSTOLI DE VALLE

S. R. E. CARD. TRAGLIA,

IN URBE PROVICARIUM ET EPISCOPALIS CONSILII

ACTIONI CATHOLICAE AC LAICORUM APOSTOLATUI

IN ITALIA TEMPERANDIS PRAESIDEM,

QUINTO ET VICESIMO IMPLETO ANNO

EX QUO EPISCOPALI EST

AUCTUS DIGNITATE QUINTAM ET VICESIMAM* Quintam et vicesimam celebranti memoriam, ex quo episcopalem dignitatem suscepisti, tibi animo et cogitatione adesse cupimus, pro certo habentes hanc praesentiam Nostram magna frequentia eorum, qui tibi felicia adprecantur, oblectari. Piis laetitiis veluti cumulum sertumque afferentes, fausta omnia tibi proferre, laudes et gratulationes promere studemus. In huiusmodi felicitatis eventu profecto gaudemus caritatem, quae prosequimur, et egregiam existimationem, qua apud Nos flores, palam testari. Etenim magisteriis, in Romana Curia persolutis officiis, vice sacra in Urbe Antistes, mine autem Noster in Urbe Cardinalis Provicarius ac Praeses Episcopalis Consilii Actioni Catholicae et laicorum apostolatui in Italia temperandis, doctrina, diligentia, sedulitate egregie de Ecclesia meritus es ac mereris, religionis studio spectabilis, suavitate animi, morum comitate, diserti oris placida gratia optimo cuique carus. Uberrima auxilia et solacia a Deo precibus invocantes, ut animi et corporis viribus validus, alaci et fidenti pectore praesertim urbis Romae priscae christiana pietati adaugendae te asserere pergas, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilekte Fili Noster, et anniversario sacro tuo interfuturis peramanter impertimus. *Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Decembris, anno MCMLXI, Pontificatus Nostri quarto.* IOANNES PP.

XXIII

*A.A.S., vol. LIV (1962), n. 1, pp. 31-32.